



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dispvatio IV. De Specie.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

ex repugnantia quadam in gradu communi fundata, nego: quia omnis gradus communis huius animæ viventis sensitivæ tantum, reperitur in homine & bruto. Ex repugnantia quadam in gradu individuali sive hæccitate fundata, concedo: tota enim repugnantia est 1^o, quia sensitivum in hac anima vivente sensitiva tantum, est indivisibiliter intrinsecè unum & idem cum hæccitate, cui repugnat fieri non tantum aliud numero, sed quidquid est in alio; ac proinde gradum specificum alius entis realiter distincti, quatenus ille est indivisibiliter intrinsecè unum & idem cum sua hæccitate. 2^o, quia repugnat, hæccitatem unam fieri aliam, etiam in ipsorum sententia.

ccccxiv. Nec dicas, hinc fore ut duarum similiarum animarum hæccitates in eo conveniant, quod fundent repugnantiam ad hoc, ut identificentur supra sensitivum ulteriori Differentiæ specificæ; & à cæteris differant, quod illa non fundent talem repugnantiam. Quia etiam si hoc totum ultro admitteremus, non tamen sequeretur, illas hæccitates fundare Differentiam aliquam specificam, in qua convenirent inter se, & disconvenirent à cæteris (ut communiter obijciunt) alioqui Petreitas & Pauleitas etiam fundarent Differentiam specificam distinctam à rationalitate (contrà suos Authores, qui docent rationale in homine debere ita sumi, ut illi repugnet ulterior Differentia specifica) nam in eo convenirent, quod fundarent repugnantiam ad hoc ut identificentur Cajo & Titio, v. g. & à Cajo & Titio differant, quod ipsi non fundarent talem repugnantiam. Item in hoc convenirent, quod ipsi non fundarent talem repugnantiam ad hoc, ut identificentur, supra sensitivum, ulteriori Differentiæ specificæ, & in eo disconvenirent ab illis duabus animabus, de quibus antè, quod talem repugnantiam fundarent. Hinc

ccccxv. Colliges, Differentiam specificam distinctam ab hæccitate, non esse quodlibet prædicatum fundans convenientiam inter aliqua entia, & disconvenientiam ab aliis; sed prædicatum aliquod ex parte actus præseidentis, commune positivum, in quo multa individua inter se sub conceptu conveniunt, & à cæteris sub conceptu disconveniunt; hæccitas verò, & quidquid in hæccitate fundatur, non potest esse tale prædicatum; alioqui, quod est præcisißima ratio disconvenientiæ, esset ratio convenientiæ, quod intelligi non potest. Deinde falsum est, quod illæ hæccitates conveniant in

eo, quod fundent repugnantiam aliquam à se distinctam, sed sunt ipsissima repugnantia: & sicut sunt à se invicem intrinsecè summe distinctæ, ita nullatenus in illa repugnantia inter se conveniunt, sed summe disconveniunt.

ccccxvi. Obijcies 2^o. si posset unum Genus immediatè individuari à parte rei, posset quodlibet; si v. g. Posset dari hoc animal, quod nec esset hic homo, nec hoc brutum; posset dari hoc ens, quod nec esset realiter creatum, nec realiter increatum; nec substantia, nec accidens: item hæc substantia, quæ nec esset corpus, nec spiritus: hoc corpus, quod nec esset animatum, nec inanimatum: quæ sunt absurda, ergo, &c. Antecedens tenet ab omnimoda paritate rationis.

ccccxvii. Respondeo, 1^{am} sequelam esse falsam, cæteras veras, & sine absurdo admitti posse: si enim gradus entis possit produci realiter sine substantia, quidni & sine accidente: si substantia sine spiritu, quidni & sine corpore, & sic de cæteris; præsertim, si attendas ad hoc, quod Aristoteles & Medici, supra, doceant, illos gradus vegetativum, sensitivum & rationale, inter se realiter distingui, & consequenter alios superiores inter se, ut v. g. gradum entis à substantia, substantiæ à corpore, corporis à vivente, &c. quia videtur esse paritas inter hos & illos, & id aperte confirmat nostram sententiam, dum solum dicimus, talem distinctionem, (quam de facto in anima rationali & similibus negamus) dari saltem posse inter gradus entium mere possibilem, quod sine absurdo admitti potest, ut supra vidimus.

ccccxviii. Dixi 1^{am} sequelam esse falsam, quia illud Genus immediatè individuatum, vel esset Deus, vel esset immediatè individuatum à Deo? non 1^{um}. quia Genus immediatè individuatum, est, saltem unà perfectione, mancum; Deus verò summe & in omni Genere entis perfectus. Non 1^{um}, quia esse à Deo immediatè individuatum, est esse creatum à Deo? Unde necessarîo deberet esse aliquid creatum; præsertim cum inciperet esse realiter, & quidquid incipit realiter esse, necessarîo realiter creatum sit. Deinde esse creatum, non ingreditur conceptum entis secundum se, sed entis creati tantum: & dum petimus, an Genus possit immediatè individuari; quærimus an Genus entis creati possit immediatè individuari, sic ut ipsa creatio simul concurrat.

DISPUTATIO QUARTA

De Specie.

DUBIUM I.

Quotupliciter accipitur Species, & quomplex sit.

RESOLUTIO I.

ccccxxix. **D**ico 1^o. prætermisiss variis Speciei acceptionibus, tam grammaticalibus, quam Philosophicis: Species accipitur 1^o Philosophicè, prout est correlativum Generis: cujus Porphyrius tres adfert definitiones, quæ vix aut nihil differunt; nec explicant naturam Speciei,

ut prædicabilis; sed ut est inferius quoddam Generis.

ccccxxx. Prima, Species est quæ sub assignato (id est, capite 2^o definito) Genere collocatur. Secunda, Species est id quod subijciuntur Generi. Tertia, Species est de qua Genus hoc ipso quid est prædicatur. Ly Univerſale subauditum sub relativis quæ, quod, est Genus definiti; per quod excludit individuum; cætera tenent locum Differentiæ, per quæ excludit Differentiam; quia illa, nec sub Genere collocatur; nec ei subijciuntur, puta in recta linea prædicamentali; nec Genus de illa hoc ipso quid est, prædicatur. Quod verò Univerſale sit Genus definiti in allatis definitionibus, patet,

tum ex definitione ejusdem Speciei, quam immediate subdit Porphyrius. *Amplius autem sic quoque Species est, quae de pluribus numero Differentibus tantum, in eo quod quid sit, predicatur.* Tum assignatum Genus, sub quo collocatur, definit: *Apium, &c. predicari de multis Specie Differentibus, &c.*

ccccxxxi. Nec dicas, in his definitionibus committi circulum; quia in illis definitur Species per Genus, & ante definitum est Genus per Speciem: nam, non tam Genus per Speciem, & e contra, quam per ordinem sui ad Speciem, & e contra definitur; qui definiendi modus, licet in absolutis non valeat, est tamen legitimus in relativis, uti sunt Genus & Species; optime siquidem definitur pater per ordinem ad filium, & e contra, Filius, qui genitus est a Patre, qui ordines cum sint diversi, idem non definitur per idem, & necessarium est correlativa ita definiti, cum dicant essentialem respectum ad invicem, & unum intelligi non possit sine alio, saltem in obliquo.

ccccxxxi. Accipitur 2^o Species Philosophice, prout est 2^{um} predicabile; cuius Porphyrius hanc adfert definitionem: *Species est id quod de pluribus numero Differentibus hoc ipso quid sit, predicatur.* Ut homo respectu Petri & Pauli. Subintelliges duplex signum, solo & tantum, ut sit sensus, *Species est quae tantum predicatur de multis solo numero Differentibus.* Unde excludes Genus, v. g. animal respectu Petri & Pauli, quia etiam predicatur de Specie Differentibus, homine scilicet & bruto.

ccccxxxi. Adde, multos velle, allatam definitionem subintellectis duabus dictis particulis *solo & tantum*, esse Speciei Specialissimae sive atomae: verum, animal de hoc & hoc animali predicatur ut Species Specialissima, & non tantum de solo numero Differentibus; quia etiam predicatur de bruto & homine Specie Differentibus: quare aptiorem & elatiorem Speciei Specialissimae definitionem trademus infra.

RESOLUTIO II.

ccccxxxi. **D**ico 2^o. Species est triplex. 1^a. Subjicibilis tantum; & est quae respectu superiorum habet rationem Speciei, & non respectu inferiorum. Vbi adverte, communiter adferri pro exemplo Speciei subjicibilis tantum animal, quod respectu corporis animati est Species & non respectu inferiorum; quia respectu illorum non predicatur tantum de solo numero Differentibus: sed malim dicere, nullam dari Speciem subjicibilem tantum: nam, vel animal, v. g. talis Species esset prout omnes communiter docent? Vel Deus, Michael, &c. ut volunt Thomistae?

ccccxxxi. Non 1^{um}. quia cum omne Genus possit immediate individuari sub conceptu & a parte rei, omne Genus est Species Specialissima respectu individuorum sub se immediate individuatorum; ac proinde non respectu superiorum dumtaxat habet rationem Speciei; sed etiam respectu inferiorum.

ccccxxxi. Nec refert, quod de individuis immediate sub se individuatis non predicetur tantum: quia de illis revera predicatur ut Species specialissima. Unde frustra subauditur in definitione Speciei illa particula *tantum*.

ccccxxxi. Non etiam 2^{um} quia Deus, Michael,

&c. sunt formalissime individua, quae a definitione Speciei subjicibilis per Genus definiti, sive Universalis, excluduntur. Vide Dub. 6. infra.

ccccxxxi. Secunda est predicabilis tantum, & est quae respectu inferiorum dumtaxat habet rationem Speciei; & non respectu superiorum: ut rationale respectu hujus & hujus rationalis.

ccccxxxi. Nec refert, quod rationale ponatur sub Genere, sub animali v. g. quia, ob suam imperfectionem, solum ponitur indirecte & ad latus; ac proinde non habet proprie superius.

ccccxxxi. Tertia, subjicibilis & predicabilis simul, & est quae tam respectu superiorum, quam respectu inferiorum est Species, ut homo, qui respectu animalis est Species subjicibilis, respectu Petri & Pauli est Species predicabilis. Item etiam quodlibet Genus respectu superiorum & individuorum immediate sub se individuatorum.

D. V. B. I. V. M. II.

Quid Genus supremum & medium, & Species infima.

ccccxxxi. **H**ic tradit Porphyrius fragmentum lineae praedicamentalis praedicamenti substantiae, quod hic etiam, utpote ad intelligentiam Generis supremi & medii, & Speciei infimae valde conducens, praesentamus:

LINEA PRAEDICAMENTALIS.

Substantia	
Immaterialis	Materialis
Spiritus	Corpus
Corpus	
Inanimatum	Animatum
Corpus Inanimatum	Corpus animatum
Corpus animatum	
Insensitivum	Sensitivum
Planta	Animal
Animal	
Irrationale	Rationale
Brutum	Homo
Homo	
Hic	Ite
Petrus	Paulus.

RESOLUTIO I.

ccccxxxi. **D**ico 1^o. Genus generalissimum est, supra quod nullum aliud Genus transcendit, vel, quod in idem recidit, quod Genus est, & non Species subjicibilis. Pro intelligentia definitionis

ccccxxxi. Adverte 1^o, hic non agi de Genere generalissimo in communi; sed de Genere generalissimo praedicamentali; ac proinde, allatae definitionis hunc esse sensum: Genus generalissimum est, supra quod nullum aliud Genus praedicamentale transcendit. Per ly autem *praedicamentale*, excludens, *Universale*, denominationem communis, Generis ad omnia Genera generalissima, &c. quia non sunt certi praedicamenti; sed omnia suprema praedicamentorum Genera transcendunt, & supervagantur.

ccccxxxi. Adverte 2^o, *supremum*, sive *generalissimum*, non secus ac caetera superlativa, posse bifariam accipi. 1^o, positive, ut sit illud, quod ita est supra omne Genus, ut aequale non admittat. Sed non datur tale

tales Genus prædicamentale. 2^o negativè, ut sit illud, quod quidem æquale admittit, nullum tamen habet aliud prædicamentale supra se, ut substantia in prædicamento substantiæ, & quodlibet supremum cuiuslibet prædicamenti.

RESOLUTIO II.

ccccxliv. **D**ico 2^o. Genus medium sive subalternum, vel Species media sive subalterna est illa omnia, quæ sunt Genus & Species diverso respectu: puta Genus respectu inferiorum, & Species subijcibilis respectu superiorum, ut animal, quod respectu hominis & bruti est Genus, & respectu corporis animati, Species subijcibilis.

RESOLUTIO III.

ccccxlv. **D**ico 3^o. Species infima, sive specialissima definitur 1^o, sub qua nulla alia prorsus Species collocatur. 2^o, quæ ita Species est, ut possit esse Genus. 3^o, quæ, Species cum sit, in alias Species dividi nequit. Vnde ab hac 3^a definitione, à nonnullis dicitur Species *aroma* græcè, latinè *indivisibilis*. Verùm has definitiones intelliges de Specie formaliter, ut Specie; alioqui Species materialiter ut Species, ut v. g. substantia respectu hujus & hujus substantiæ, & quodlibet Genus, quod est Species respectu suorum immediatorum individuorum, in alias Species dividi potest; est ita Species, ut etiam sit Genus respectu aliorum; sub ipsa collocantur aliæ Species, &c. ut patebit consideranti lineam prædicamentalem, paulò antè n. 464. præsentatam.

DVBIVM III.

Quæ Regula Attributionum.

ccccxli. **P**orphyrus hic tres adfert Regulas Attributionum, id est, prædicationum; nam attribui hic, æquale prædicari; quæ, quia ad unicam commodè reducuntur; ne regularum multitudine ingenium humanum confundatur (quod ubique, quantum fieri potest, vitamus) sequenti contenti erimus. Quare sit

RESOLUTIO.

ccccxlvii. **D**ico Omnia superiora de inferioribus, tam mediatis, quam immediatis, semper dicuntur: nulla verò inferiora de superioribus, si ve mediatis, si ve immediatis, prædicantur: supple 1^o Universaliter & tamquam de subiecto Universaliter sumptis; nam rectè dicitur aliquod animal est homo, licet dici non possit, omne animal est homo. supple 2^o ordinatè, quia inferius de superiori inordinatè prædicatur, ut animal est homo.

ccccxlviii. Addo tamen, superiora ut superiora reduplicativè, numquam de inferioribus prædicari, bene ut æqualia de æqualibus, aut ut paria de paribus. Ratio nostra est, quia omnis prædicatio debet esse secundum rectum; omnia concreta in recto sunt æqualia, vel de invicem affirmari non possunt; nam illa dumtaxat de invicem affirmari possunt, quæ sunt idem; quæ verò sunt idem, sunt æqualia: cum verò dicit Porphyrius, superiora de inferioribus semper dici, accipit ly *superiora materia-*

liter, ut sit sensus; ea, quæ sunt superiora secundum quod dicunt in obliquo, de inferioribus semper dicuntur, puta secundum quod dicunt in recto. Vide Dub. 3. Disp. 3^a.

DVBIVM IV.

An species prædicabiles rectè à Porphyrio definiantur, id quod est prædicabile de pluribus numero differentibus in quid.

ccccxlix. **A**ffirmat R. P. Poncius, dicitque, id esse commune omnium: quia tamen contrarium manifestè constat ex PP. Hurtado, Arriaga, Oviedo & aliis, sit

RESOLUTIO.

cccc. **D**ico: Species prædicabilis non rectè ut sic à Porphyrio definitur.

cccci. Probatur, allatis probationibus supra Disp. 3^a. Dub. 1^o. & Responione ad objectionem ultimam Dubii sequentis, ergò, &c.

DVBIVM V.

Quæ sit Speciei definitio essentialis.

RESOLUTIO.

cccclii. **D**ico: Species est unum, &c. aptum prædicari de multis, ut tota eorum essentia Universalis. Ly unum, &c. aptum prædicari de multis, est Genus definiti; cætera tenet locum Differentiæ.

ccccliii. Per ly ut tota eorum essentia, exclude Genus & Differentiam, quæ non nisi ut pars essentiæ apta sunt prædicari. Item Proprium & Accidens, quæ neque ut tota, neque ut pars essentiæ apta sunt prædicari; sed ut quidpiam accidentale, & rei jam essentialiter completæ conveniens. Non addidi in definitione in quid: quia certum est quod prædicari ut tota essentia, sit prædicari in quid; additum est tamen in definitione Generis, & addetur in definitione Differentiæ; quia nec omnis pars materialis, nec omnis pars formalis est essentialis. De parte formali patet; quia in omnium sententia Proprium & Accidens sunt pars formalis accidentalis. De parte verò materiali probatur; quia corpus in intelligente, materia 1^a in calido, est pars materialis non essentialis, sed accidentalis; quia optimè concipitur anima rationalis intelligens sine corpore; item & forma ignis calida sine materia 1^a.

ccccliv. Obijcies 1^o. Species non est tota essentia individuorum, ergò malè definitur unum, &c. aptum prædicari de multis ut tota eorum essentia. Probatur antecedens, quia est totum potentiale respectu individuorum; & individua supra Speciem dicunt Differentias individuales tamquam partes ipsorum essentialiter constitutivas, ergò, &c. Pro Solutione hujus argumenti

cccclv. Adverte, individua posse dupliciter considerari, 1^o. secundum Universalem essentiam, quæ illis convenit. 2^o. secundum essentiam singularem, quæ etiam illis convenit. Essentiam autem Universalem voco prædicata Universalis, quæ prædicantur de individujs essentialiter, ut animal, homo, rationale, &c. Essentiam singularem verò prædicata singularis, quæ prædicantur de individujs essentialiter, ut hoc animal, hic homo, hoc rationale, &c. Hoc præmissis, ad argumentum

cccclvi. Respondeo distinguendo antecedens: H 3 Species

Species non est tota essentia individuum spectatum secundum essentiam Universalem, quæ illis convenit, nego antecedens; nam reverà est tota essentia Universalis, quæ illis convenit: spectatum secundum essentiam singularem, quæ illis convenit, concedo antecedens: neque hoc sensu volumus, Speciem esse aptam prædicari de multis ut totam essentiam; imò, isto sensu non potest; alioqui deberet esse apta prædicari de multis in quid ut singularis, quod implicat. Per hoc autem quod sit apta prædicari de multis ut tota essentia Universalis, quæ illis convenit, satis distinguitur à Genere & cæteris Universalibus.

CCCCVII. Ad probationem verò antecedentis similiter distinguo: Species est totum potentiale, respectu individuum spectatum secundum essentiam Universalem, quæ illis convenit, nego; quia est totum actuale respectu individuum ut sic consideratum; nam Petrus v. g. spectatus secundum essentiam Universalem, est homo, qui est Species respectu plurium, & totum actuale respectu sui ipsius: respectu individuum spectatum secundum essentiam singularem, concedo; sed non dicimus, Speciem prædicari ut totam essentiam individuum spectatum secundum essentiam singularem; sed ut totam essentiam eorum spectatum secundum essentiam Universalem. Vnde consequenter dic, individua, spectata quidem secundum essentiam singularem, dicere differentias numericas tamquam partes ipsorum essentialiter constitutivas; non verò spectata secundum essentiam Universalem; nam differentiarum numericarum sunt accidentales essentiarum Universalium, non secus ac rationale animal.

CCCCVIII. Respondent communiter alii distinguendo antecedens: species non est tota essentia propriè dicta individuum, negant: impropriè dicta, concedunt: vocant autem essentiam propriè dictam prædicata, sine quibus individua concipi non possunt, & à quibus emanant aliquæ proprietates communes, ut rationale, sine quo Petrus concipi non potest, & à quo emanat visibilitas, hominis proprietas: impropriè verò dictam, prædicata essentialia, sine quibus individua concipi non possunt; ab eis tamen nullæ emanant proprietates, ut sunt hæcæitates. Vnde similiter dividunt totum potentiale in propriè dictum, & est illud (inquiunt) quod perfici potest per prædicatum propriè essentialia; & in impropriè dictum, & est (inquiunt) quod perfici potest per prædicatum impropriè tantum essentialia. Verum hæc responsio videtur mihi difficilis; nec video, cur potius rationale constituat essentiam propriè dictam, sive cur potius sit prædicatum essentialia propriè dictum respectu Petri, quàm Petreitas; imò puto, Petreitatem esse prædicatum essentialia magis propriè dictum respectu Petri, quàm rationale: quia soli Petro convenit, & est id, quo Petrus ultimò in essentia constituitur; non item rationale, quia etiam Paulo convenit, & nisi accedat Petreitas, per rationale non habetur Petrus. Confirmari potest ex Aristotele, qui 7^o. Metaph. dicit, Differentiam esse totam essentiam speciei, quia speciem ultimò complet, ergò similiter Differentia numerica sive Petreitas dici poterit tota essentia Petri, quia eam ultimò complet. Vnde sicut, ex mente Aristotelis, rationale est prædicatum magis propriè essentialia respectu hominis, quàm animal, utpotè id de

quo dicit, esse totam essentiam, quia illam ultimò complet, non de animali; ita, ex mente ejusdem, Petreitas erit prædicatum magis propriè dictum essentialia respectu Petri, quàm rationale, quia ultimò complet Petrum, non verò rationale.

CCCCIX. Adde, gratis & sine fundamento requisitum, ad prædicatum essentialia propriè dictum, ut ab eo emanent aliquæ proprietates communes, sive ut sit radix aliquarum proprietatum communium; sed sat esse, quoddam res, cujus essentiam constituit, non possit concipi sine illo. Numquid ubi est prædicatum essentialia propriè dictum respectu concreti *ubicatum*, etiam supposito, quod non sit operativum, aut radix aliquarum proprietatum? Rectè inficiabitur nullus; quia tam propriè est de essentia illius concreti, quàm *albedo* de essentia *albi*: cur hoc tamen, nisi quia *ubicatum* concipi non potest sine *ubi*, & non quia ab eo emanant aliquæ proprietates; nam supponitur, nullas emanare? Ergo omnino gratis id requisitum est ad prædicatum strictè essentialia; & quod diximus de prædicato isto essentiali Physico, extendendum ad Logicum sive Metaphysicum. Hinc.

CCCCX. Colliges, hominem respectu Petri & Pauli, & quamlibet speciem, respectu suorum individuum consideratum secundum essentiam singularem, quæ illis convenit, esse totum potentiale propriè dictum; totum verò actuale essentialia, respectu eorumdem consideratum secundum essentiam Universalem, quæ illis convenit.

CCCCXI. Instabis, si species non sit tota essentia individuum consideratum secundum essentiam singularem; sed totum potentiale respectu illorum ut sic consideratum; respectu illorum, ut sic consideratum, erit Genus & totum potentiale, secundum quod dicit in obliquo, & non species; sed hoc nullus dixerit, ergò, &c. Probatur sequela, quia erit determinabilis per hæcæitates, quod est, esse pars materialis, & hæcæitates actu non dicet, quod est esse totum potentiale, ergò, &c.

CCCCXII. Respondeo negando sequelam, ad eius probationem, distinguo sequelam majoris pro 1^a parte: erit determinabilis per hæcæitates, quod est esse pars materialis essentiarum singularis, concedo sequelam; quod est esse pars materialis essentiarum Universalium, nego sequelam; Genus verò est unum aptum prædicari de multis in quid, ut pars materialis essentiarum Universalium, sive ut pars materialis individuum consideratum secundum essentiam Universalem; & non ut pars essentiarum singularis: 1^o. quia Genus eodem sensu est aptum prædicari ut pars materialis, quo Species est apta per dici ut tota essentia, & differentia ut pars formalis: Species verò non est apta prædicari de multis ut tota essentia singularis; quia singularis non est; sed ut tota essentia Universalis: & differentia non est apta prædicari de multis ut pars formalis essentiarum singularis; quia illa est ipsamet hæcæitas, quæ non est apta prædicari de multis; sed ut pars formalis essentiarum Universalium; ergò & Genus ut pars materialis essentiarum Universalium. 2^o. si Genus esset aptum prædicari de multis ut pars materialis essentiarum singularis, non distingueretur à differentia; nam etiam differentia, v. g. rationale in Petro, utpotè determinabile per hæcæitatem sive petreitatem, esset aptum prædicari de multis ut pars materialis essentiarum singularis. 3^o de nique, quando Adversarii nostri dicunt, Genus esse

esse aptum prædicari de multis, ut partem materialem essentiae propriè dictæ; Speciem verò ut totam essentiam propriè dictam; idem prorsus dicunt, quod nos; nam ab essentia propriè dicta excludunt hæccitates (licet malè, propter quod, ipsorum modum loquendi refugimus) quibus exclusis, manet sola essentia Vniuersalis individuorum; ac proinde, secundum ipsos, esse aptum prædicari ut pars materialis essentiae propriè dictæ, est esse aptum prædicari ut pars materialis essentiae Vniuersalis. Et sic proportionaliter de Specie.

CCCCXIII. Ad probationem sequelæ, similiter distinguo pro 2^a parte: Species hæccitates actu non dicit, quod est esse totum potentiale respectu essentiae singularis, siue respectu individuorum consideratorum secundum essentiam singularem, concedo; quod est esse totum potentiale respectu essentiae Vniuersalis, siue respectu individuorum consideratorum secundum essentiam Vniuersalem, nego; totum verò potentiale, quod est Genus, debet, esse totum potentiale respectu essentiae Vniuersalis, siue minis actu dicere, quàm individua considerata secundum essentiam Vniuersalem; & non sufficit, illud esse totum potentiale respectu essentiae singularis; alioqui Species & Differentia, cum non dicant actu totam essentiam singularem, essent totum potentiale, quod est Genus, quod ipsi negant. Deinde, quando Adversarii nostri ad totum potentiale, quod est Genus, requirunt ut sit determinabile per Differentiam essentialem propriè dictam; idem dicunt, quod dicimus; nam à Differentia essentiali propriè dicta excludunt hæccitates (sed malè) quibus exclusis, manet sola essentia Vniuersalis; ac proinde, secundum ipsos, esse totum potentiale, quod est Genus, est esse determinabile per Differentiam essentiae Vniuersalis; & consequenter minis actu dicere, quàm individua considerata secundum essentiam Vniuersalem.

CCCCXIV. Virgebis 1^o, Species est apta prædicari de multis individuis, consideratis secundum essentiam singularem; sed non ut species, quia non prædicatur ut tota essentia eorum ut sic consideratorum; ergò ut Genus. Probatur consequentia; quia prædicatur ut totum potentiale, & ut pars materialis determinabilis per hæccitates; Genus autè prædicatur ut pars materialis determinabilis, &c.

CCCCXV. Respondeo 1^o, hoc argumentum ab omnibus solvendum; quia in omnium sententia, Species non est tota essentia individuorum ut individuorum, siue non dicit actu, individuorum hæccitates, quibus, ut individua, constituitur; ac proinde de individuis ut per eas constitutis, debet, secundum omnes, prædicari ut totum potentiale, & pars materialis determinabilis per eorum hæccitates.

CCCCXVI. Respondeo, admissio toto antecedente, negando consequentiam: ad probationem ejus respondeo; Speciem non esse aptam prædicari ut Genus; quia non omne, quod est aptum prædicari ut totum potentiale, & ut pars materialis, est aptum prædicari ut Genus; sed illud dumtaxat, quod est aptum prædicari de multis ut totum potentiale, & ut pars materialis essentiae Vniuersalis; siue ut totum potentiale contrahibile per Differentiam Vniuersalem; & ut pars materialis determinabilis per Differentiam Vniuersalem, qualis non est hæccitas. Ratio nostra est; quia alioqui,

ut suprà ostensum est, Genus non distingueretur à Specie & Differentia, nam hoc ipso, quod Species est prædicabilis de multis ut tota essentia Vniuersalis, est prædicabilis de multis ut pars materialis essentiae singularis; & Differentia similiter, hoc ipso, quod est prædicabilis de multis ut pars formalis essentiae Vniuersalis, est prædicabilis de multis ut pars materialis essentiae singularis. Species igitur de individuis, ut consideratis secundum essentiam singularem, erit prædicabilis ut sextum quoddam Vniuersale (de quo latius infra Tract. 3. n. 25.) quod vocamus Vniuersale Concomitans, eò quod tres 1^æ Vniuersalis Species, Genus scilicet, Speciem, Differentiam semper concomitetur. Definiri autem potest, unum aptum, &c. prædicari de multis individuis tantum, in quid, ut pars materialis eorum, ut consideratorum secundum essentiam singularem.

CCCCXVII. Objicies 2^o, non est ratio recedendi à definitione, quâ Porphyrius definit Speciem specialissimam, Vnum aptum prædicari tantum de multis solo numero differentibus, hoc ipso quid est. Et claram continet differentiam Speciei à Genere, quod definit, Vnum aptum, &c. prædicari de multis Specie differentibus hoc ipso quid est. Nec aliam adferre possumus, nisi fingendo sextum Vniuersale, ergò, &c.

CCCCXVIII. Respondeo negando assumptum, multæ enim rationes nos movent, ad recedendum ab allata definitione.

CCCCXIX. 1^a, quia per ly tantum, in definitione Speciei specialissimæ positum, excludis animal & quodlibet Genus, quod reverà est Species specialissima respectu individuorum immediatorum; & tamen non prædicatur tantum de solo numero differentibus hoc ipso quid est, sed etiam de Specie differentibus. Quod verò Genus quodlibet respectu illorum sit Species specialissima, patet; quia cum non sit unum ex aliis quatuor Vniuersalibus, Genere scilicet, Differentia, Proprio & Accidente, oportet sextum admittere, quod à nobis fingi, malè obijcitur.

CCCCXX. 2^a, Si prædicari de multis Specie differentibus hoc ipso quid est; & prædicari tantum de multis solo numero differentibus hoc ipso quid est, diversificent prædicabilia essentialiter; quidni ea essentialiter diversificabunt, 1^o prædicari de multis Specie differentibus hoc ipso quale quid est, ut sensitivum de homine & bruto; Et prædicari tantum de multis solo numero differentibus hoc ipso quale quid est, ut rationale respectu Petri & Pauli? 2^o quidni ea essentialiter diversificabunt, prædicari de multis Specie differentibus hoc ipso quale est tantum, ut albedo respectu chartæ & cygni; Et prædicari tantum de multis solo numero differentibus in quale tantum, ut albedo respectu Petri & Pauli? 3^o quidni præterea essentialiter ea diversificabunt, Prædicari de multis Specie subalternâ differentibus hoc ipso quid est, ut corpus animatum respectu plantæ & animalis; & prædicari tantum de multis sola Specie atomâ differentibus hoc ipso quid est, ut animal respectu hominis & leonis? 4^o deniq; quidni diversificabunt prædicabilia essentialiter, prædicari de multis genere differentibus hoc ipso quid est, ut corpus animatum respectu cedri & hominis; & prædicari tantum de multis Specie & non de multis genere differentibus hoc ipso quid est, ut substantia respectu corporis & spiritus? Iuxta id autem, quod 3^o, & 4^o allatum est, diversificare potes prædicabilia in quale quid, & in quale tantum; & sic sine fine Vniuersalia

versalia multiplicare; quod in nostra sententia vitatur; nec satis apparet, quid ad hoc solide respondere possint Adversarii, nisi ad nostras definitiones confugiant.

D V B I V M VI.

An Species subijcibilis, ut subijcibilis, sit Universalis.

A Nte Resolutionem
ccccclxxi. Suppono, ly ut *subijcibilis* possibile tripliciter sumi: 1^o. Specificativè, ut sensus dubii sit, an Species, quæ est subijcibilis, sit Universalis, 2^o. reduplicativè, ut sensus sit, an Speciei subijcibilitas sit forma concreti, *Universalis*, sive ipsa Universalitas, 3^o. causaliter, ut sensus sit, an subijcibilitas sit causa Universalitatis, sive id, à quo Universalitas emanet, tamquam proprium ab essentia. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O I.

ccccclxxii. **D**ico 1^o. species subijcibilis ut subijcibilis specificativè, semper est Universalis. Ita plurimi, quos sequuntur PP. Complut. & Ioan. à S. Thom. Probatur, quia, ut profunde notat R. P. Ioan. à S. Thom. q. 8. de Specie. Genus definiti, in definitione speciei subijcibilis, est Universalis. Quod confirmant, RR. PP. Complut. disp. 6^a. de Specie q. 1^a. ubi sic definitionem Speciei subijcibilis explicant: *Species subijcibilis est, quæ sub assignato Genere ut Genere collocatur.* Quæ explicationes bonæ sunt; quia aliqui individua essent species subijcibilis, & animal respectu hujus & hujus animalis. Genus; ergo, &c.

ccccclxxiii. Obijcies tamen 1^o. Deus, Michael, &c. sunt Species subijcibiles, & tamen formalissimè individua; ergo Species subijcibilis non est Species Universalis. Probatur antecedens, quia Deus & Michael distinguuntur Specie inter se, & ab aliis, ergo, &c.

ccccclxxiv. Respondeo 1^o. negando antecedens pro 1^a. parte; repugnat enim, aliquid esse Speciem subijcibilem (cujus genus definiti est Universalis) & formalissimè individuum: nam illud esset Universalis & individuum formalissimè. Ad probationem verò antecedentis, Respondeo imprimis, Michaëlem esse individuum alicujus Speciei Angelicæ prædicabilis, quia natura Angelica (ut suppono ex Tract. de Angelis) est multiplicabilis sine fine, in individua solo numero distincta. Quod verò ad Deum attinet, dicitur distingui Specie, ab Angelo & aliis; nõ quod sit alicujus Speciei prædicabilis, aut Species subijcibilis; sed, vel quia ab illis differt notabiliter, & plusquam solo numero: quod tamen, sicut non est esse Universalis; ita nec est esse alicujus Speciei prædicabilis, aut species subijcibilis: vel quia ab illis differt Specie extrinseca, in quantum non est Speciei illorũ, non item Specie intrinseca, quia, secundum intrinseca, nullius est Speciei: Deus enim est individuum immediatè sub genere, quod nec genericum dici debet, quia perfectius omni genere & Specie; nec specificum, quia nullius Speciei; sed perfectissimum sub Genere dici debet. Profectò scirem libenter, quò titulo Deus, Persona Patris in Divinis v. g. sit Species subijcibilis, potius quàm Petrus; quia illa non minus est

hæc persona, quàm Petrus hic homo.

ccccclxxv. Resp. tamen 2^o. distinguendo assumptum: Deus, Michael, &c. sunt Species subijcibiles, si sint, respectu inferiorum, Logicè Species prædicabiles, quod infra examinabimus, concedo assumptum: verum, hoc dato, non sunt formalissimè individua; sed Species prædicabilis, ut patet: si secus, nego assumptum.

ccccclxxvi. Si verò dicas, esse disparitatem, eò quod Petrus nihil præter hæccitatem dicat immultiplicabile; secus verò Persona Patris, quia inter Personam & hæccitatem, dicit talitatem personæ immultiplicabilem; quæ, cum supponatur abstracta ab hæccitate, & non sit Species prædicabilis, debet esse subijcibilis tantum.

ccccclxxvii. Respondeo cum distinctione: vel talitas illa consideratur ex parte objecti; vel ex parte actus eam præcindentis? si ex parte objecti, est indivisibiliter ipsa hæccitas; ac proinde, non magis Species subijcibilis, quàm Petrus: si ex parte actus, (præterquam quod eadem sit ratio talitatis istius, quæ hæccitatis, cum utraque individua sit, quidquid detur, quod una sit hæc, alia non) fortè non tantum est Species subijcibilis, sed & Logicè prædicabilis, modo, quò infra dicemus, Naturam Divinam fortè esse Speciem prædicabilem Logicè, sed non Logicè & Physicè simul.

ccccclxxviii. Obijcies 2^o. formæ oppositæ non possunt eidem convenire; sed subijcibilitas & Universalitas sunt formæ oppositæ, ergo nequeunt simul eidem naturæ convenire.

ccccclxxix. Respondeo distinguendo minorem: sed subijcibilitas ut subijcibilitas materialiter & Specificativè, & Universalitas opponuntur, nego minorem: subijcibilitas ut subijcibilitas formaliter & reduplicativè, & Universalitas opponuntur, concedo minorem; verum hinc non est talis subijcibilitas, ut patet.

R E S O L U T I O II.

ccccclxxx. **D**ico 2^o. Species subijcibilis ut subijcibilis reduplicativè, non est Universalis. Ita communiter.

ccccclxxxi. Probatur, quia subijcibile ut subijcibile reduplicativè, & Universalis eodem modo sumptum opponuntur; sed opposita nequeunt simul eidem convenire, ergo, &c. Probatur antecedens, quia subijcibile, ut sic formaliter, respicit superiora; Universalis ut sic formaliter, inferiora; sed hi respectus opponuntur, non secus ac superiora & inferiora ut talia formaliter, à quibus specificantur; ergo, &c.

ccccclxxxii. Obijcies tamen, Species subijcibilis ut subijcibilis, est abstracta ab inferioribus: probatur assumptum; quia ut subijcibile non potest esse singularis; inter Universalis autem & singulare, non datur medium, ergo, &c.

ccccclxxxiii. Confirmatur ex Porphyrio supra: Species subijcibilis pro Genere definiti dicit Universalis, ergo ut subijcibilis est Universalis.

ccccclxxxiv. Respondeo distinguendo assumptum: Species subijcibilis ut subijcibilis reduplicativè, est abstracta ab inferioribus, nego assumptum; quia ut sic nihil dicit, nisi respectum ad superiora, similem illi, qui est individui ad speciem; sicut verò respectus ille non est abstractio, ita nec Species, ut reduplicativè dicit illum respectum, est abstracta,

ta, ac per consequens nec Universalis: ut subji-
cibilis specificativè concedo assumptum; & hoc
sensu Resolutione 1^a dictum est, esse Universalem.
Ad probationem assumpti Respondeo, ut subji-
cibilem reduplicativè, nec esse Universalem nec
singularem; licet enim non daretur medium abso-
lute inter Universale & singulare, daretur tamè re-
spectivè; nam sicut, licet Petrus absolute necessario
sit sanus vel æger, neutrum tamen est ut rufus: sic
simuliter, licet absolute natura necessario esset sin-
gularis vel Universalis, neutrum tamen est forma-
liter ut respicit superiora, ut ab uno tantum abstra-
cta, &c.

ccccclxxxix. Ad confirmationem vero Re-
spondeo, Speciem ut subjiabilem reduplicativè;
non dicere pro Genere definiti Universalis forma-
liter, sed materialiter; ut subjiabilem autem ma-
terialiter, est Universalis, ut statim dictum est.

RESOLUTIO III.

ccccclxxx. **D**ico 3^o Species subjiabilis ut
subjiabilis causaliter, non est
Universalis. Ita Doctissimi PP. nostri Complut.
Disp. 6. de Specie. q. 3. & multi, quos ibidem ci-
tant, contra Cajet. Arauz. Tolet. &c.

ccccclxxxi. Probatur, quia à subjiabilitate
non manat Universalitas, 1^o quia illa est Genus de-
finiti subjiabilis. 2^o quia alioquin omne Uni-
versale præsupponeret subjiabile à quo manaret;
non apparet autem à quo subjiabili possit Genus
generalissimum manare, cum nec ipsum ulli Ge-
neri prædicamentali subjiaciatur: 3^o quia subjiabi-
litas & prædicabilitas sunt respectus oppositi, qui
ab invicem haud magis manant, quam opposita,
calor à frigore v. g.

DVBIVM VII.

An Genus in una Specie tantum, Species in uno
individuo tantum, ceteris impossibili-
bus, salvari possit.

ccccclxxxii. **A**ntè Resolutionem
Suppono 1^o Genus &
Speciem dupliciter spectari posse: semel 1^o inten-
tionaliter, & pro materiali significato, quod im-
portant sumpta in concreto; sive pro naturis, quæ
denominantur Genus, ut animal; vel Species ut
homo: & semel 2^o intentionaliter & concretim, sive
pro natura tamquam subiecto, & 1^a intentione for-
mali Genus aut Speciei tamquam formâ, quod,
sensu diximus, Universalis defini.

ccccclxxxiii. Suppono 2^o Genus 1^o inten-
tionaliter sumptum (& idem est de Specie) habere
perfectiones duplicis Generis, actuales scilicet seu Me-
taphysicè essentielles, & potentiales seu Metaphysi-
cè accidentales. Actuales sunt ipsa prædicata es-
sentialia Metaphysica; potentiales sunt illa, quæ
per contractionem ad inferiora superveniunt, ut
differentiæ Specificæ v. g. rationale & irrationale,
& numericæ, ut hoc & hoc respectu Generis; & so-
la numericæ respectu Speciei. His suppositis, fit

RESOLUTIO I.

ccccclxxxiv. **D**ico 1^o Genus 1^o intentio-
naliter seu materialiter

sumptum, v. g. animal, quoad perfectiones adæ-
quales seu Metaphysicè essentielles, potest salvari in
una Specie possibili, aliâ impossibili; imò & in uni-
co individuo possibili, aliis impossibilibus. Ita Sed-
tus hic q. 18. Item Lovanientes hic similiter R. 4.

ccccclxxxvi. Probatur, quia tota actualis &
Metaphysicè essentialis perfectio animalis, est esse
vivens sensitivum & non aliud; sed id salvari po-
test in unica Specie, v. g. homine, aliâ impossibili
scilicet bruto; imò & in Petro possibili, cæte-
ris hominis individuis impossibilibus, ut patet a
nam adhuc eo casu Petrus esset vivens sensitivus,
ergo, &c.

ccccclxxxvii. Confirmatur, Natura genericæ
sic est in inferioribus, ut sit divisim tota in singu-
lis; ergo, &c. Probatur antecedens, quia prædica-
tur tota de singulis divisim, ut constat ex præmis-
sis, & D. Thoma 1^a p. q. 77. art. 1^o ad 1^{am}. Totum
Universale adest cuilibet parti, secundum totam suam
essentiam & virtutem, puta actualem; ergo, &c.

RESOLUTIO II.

ccccclxxxviii. **D**ico 2^o Genus 1^o intentiona-
liter sumptum, quo ad per-
fectiones potentiales seu Metaphysicè accidentales,
si sit multiplicabile in plures Species, ut v. g. ani-
mal in hominem & brutum, non potest salvari in
unica specie, v. g. animal in solo homine. Ita nostri
Carm. Comp. hic Disp. 5. q. 2. & plures, quos
ibi citant, & sequitur R. P. Ioan. à 8^o Thoma, et-
iam hic q. 8.

ccccclxxxix. Probatur, quia rationale repe-
ritur in homine; sed rationale non est tota per-
fectio potentialis seu Metaphysicè accidentalis ani-
malis, ergo, &c. Minor patet, quia sicut potest
fieri homo & brutum, ita & rationale ac irratio-
nale.

d. Confirmatur, sic se habet Genus multiplica-
bile respectu differentiarum contrahentium, seu
perfectionum potentialium & Metaphysicè acci-
dentalium; sicut materia 1^a sublimitatis respectu
formarum; sed illa non habet omnem suam perfe-
ctionem potentialem sub una forma; ergo nec Ge-
nus in plures Species multiplicabile, sub una dif-
ferentia Specifica.

di. Dixi, si sit multiplicabile in plures Species; alio-
qui si supponatur unica Species esse possibilis, sicut
hæc sola erit ejus perfectio potentialis; ita in hæc
sola possibili salvabitur. Ex his

dii. Colliges multò minus Genus quoad perfe-
ctiones potentiales salvari in unico individuo, si
supponantur, plura esse possibilia.

RESOLUTIO III.

diii. **D**ico 3^o Genus ut est 1^{um} prædica-
bile concretim sumptum, sive ut
est definitum adæquatum in definitione Generis,
potest salvari in unica Specie possibili, aliâ impos-
sibili. Hæc Resolutio, vix ab ullo examinatur tamè.

dii. Probatur, quia esse Genus ut sic sumptum
nihil aliud est, quam esse unum, &c. aptum præ-
dicari de multis ut pars materialis essentiae Univer-
salis; sed, posito solo homine possibili & bruto
impossibili, animal respectu Petri & Pauli esset
unum aptum, &c. ergo, &c.

dv. Con-

94. Confirmatur conclusio, & probatur minor solutione argumentorum.

DVI. Obijcies 1^o Aristotelem 4^o. Top. cap 4^o. ubi sic habet: *Cum autem omnis Generis, multa Species sint, considerare oportet an altera Species esse nequeat propositi Generis, nam si non sit altera Species, pater non posse omnino esse Genus quod dictum est.* Ergo, &c.

DVII. Respondeo Aristotelem nihil loco citato habere contra nos; nam procedit ex alia hypothese, scilicet, quod Genus sit prædicabile de multis Speciebus, sive quod omnis Generis multæ sint Species, ut constat ex postremis verbis, *quod dictum est*, quæ referri debent ad priora hæc, *cum autem omnia Generis multæ Species sint.* Vnde ibidem definit Genus, *quod de Speciebus prædicatur.* Et ei, 1^o ait: *De pluribus enim Genus, quam Species prædicatur.* Nos vero ex hypothese quadam, forte impossibili, an v.g. si animalis, per impossibile, esset unica Species, puta homo, animal posset adhuc Genus esse: à qua hypothese omnino abstrahit Aristoteles: unde nego consequentiam. Eodem ferè modo intelliges D. Thomam 1^o Post. lectione 12^a ubi sic habet: *Non est possibile invenire aliquod Genus, cujus una tantum sit Species.* Schlusest. Non est de facto invenire aliquod Genus, cujus unica sit Species. An autem animal, supposito per impossibile, quod solus homo, ejus Species esset possibilis, remaneret Genus, non tangit; quod hic facimus. Vnde, cum dicit, Genus dividi per Differentias oppositas, agit de Genere materialiter, & possibili, vel de facto existente, non verò de Genere secundum nostram hypothese. Item agit de Genere juxta suas & Aristotelis definitiones, non verò juxta nostras: Clarius tamen responde, Aristotelem & D. Thomam loqui probabiliter, non omnino certò; solum enim volebant, oppositum Resolutionis esse probabile, quod, sistendo in ipsorum autoritate, admittimus; non verò simpliciter.

DVIII. Obijcies 2^o. isto casu animal reverà esset Species vel Differentia; & non Genus: ergo, &c. Probatur antecedens pro 1^a parte; nam isto casu animal prædicaretur ut tota essentia hominis; si quidem rationale esset tantum proprietates animalis, ab eoque fluxu rationis emanaret, sicut modò risibile à rationali, ergo, &c.

DIX. Probatur antecedens pro 2^a parte, quia isto casu, animal obiret omnia munera Differentiæ; nam divideret Genus, videlicet corpus animatum; ejus indifferentiam tolleretur; Speciem adequatè constitueret, & à quolibet alio, non secus ac rationale, distingueretur; ergo reverà esset Differentia, ergo, &c.

DX. Confirmatur quia Genus aptum esset prædicari de multis ut pars materialis, sive ut determinabile per Differentiam Universalem; sed, isto casu, non erit tale, ergo, &c. Probatur minor, quia omne determinabile debet latius patere suo determinativo; alioqui non esset ratio, cur potius esset determinabile, quam determinativum, ergo, &c.

DXI. Respondeo 1^o negando antecedens pro 1^a parte; ad ejus probationem, nego, quod isto casu animal prædicaretur ut tota essentia hominis; nam rationale, quod in animali actu non concluditur, adhuc esset de essentia hominis; nisi velis dicere, quod, si per impossibile brutum fuisset impossibile, homo non habuisset eam-

dem essentiam, quam modo habet; quod est absurdum: nam sicut homo esse & concipi potest, nec existente, nec concepto bruto possibili; ita habet essentiam suam omnino independentem à bruto possibili; ac proinde, sive brutum sit possibile; sive impossibile, rationale semper est de essentia hominis, & non proprietates tantum; præsertim cum reperiatur animal sine rationalitate, in hoc animali immediatè individuato, & dici non possit, hoc animal esse hunc hominem immediatè individuatum; quod posset, si animal esset tota essentia hominis.

DXII. Respondeo 2^o, negando etiam antecedens pro 2^a parte, ad ejus probationem nego assumptum: illo enim casu animal v.g. ratione Differentiæ, quam includit, divideret quidem corpus animatum, & ejus Differentiam constitueret; sed non ratione sui, & multò minus ratione sui Speciem adequatè constitueret; alioqui animal, illo casu, esset tota essentia hominis, quod est absurdum, ut monstratum est: quod autem hominem à quolibet alio distingueret, non secus ac rationale, per accidens foret; quia videlicet per accidens essent impossibilia ea, à quibus homo jam per rationale præcisè distinguitur. Vnde solum sequitur, differentiam hominis constitutivam, per accidens cessare esse distinctivam quoad nos, & extrinsecè respectu eorum, quæ per accidens supponuntur impossibilia; quia rationale remanet Differentia hominis constitutiva & distinctiva secundum omnia intrinseca sua, ut jam; quoad se tamen & intrinsecè, remaneret eadem, quæ modò est.

DXIII. Addo tamen, adhuc Differentiam remanentem distinctivam hominis Specie ab hoc animali immediatè individuato à parte rei, ad hocque esse necessariam; cum reverà homo sit Species ab hoc animali realiter distincta; imò etiam adhuc fore divisivam Generis in Speciem; quia remanet Genus divisibile in Speciem unam, vel individuum immediatum. Si verò non sit amplius futurum divisibile in multas Species, & Differentia ejusdem distinctiva ab altera Specie, est hypothese posita, ut patet.

DXIV. Ad confirmationem: Respondeo negando minorem: & ad ejus probationem distinguo assumptum: omne determinabile, secundum indifferentiam ad diversas formas, vel Differentias positivas, debet latius patere suo determinativo, concedo assumptum: determinabile secundum indifferentiam ad unam formam, vel Differentiam positivam, & aliam negativam, sive privationem illius, nego assumptum: nam materia 1^a celestis, in probabili sententia docente, esse capacem unius forme dumtaxat, est determinabilis per illam formam, & tamen non latius patet illa forma; id est, non potest reperiri in aliquo composito substantiali completo, in quo illa forma non sit. Sed

DXV. Gravis difficultas est, cur potius illo casu materia sit futura determinabilis, quam determinativa; & consequenter, cur potius animal sit futurum determinabile, quam determinativum. Responderet aliquis: quia proprium est formæ, esse determinativum, subjecti verò (uti est materia) esse determinabile: sed, ut docebimus in Physica, materia & forma sunt simul naturæ sibi invicem subjectum & forma denominatio-

nis, &c. quia sicut intelligi non potest, materiam esse unitam formæ, quin simul intelligatur, formam esse unitam materiæ; ita intelligi non potest, materiam esse à forma informatam, quin simul intelligatur, formam esse à materia materiæ. Quare aliter

DXV. Ad propositam difficultatem Respondeo, cum distinctione: non est ratio cur potius materia cælestis sit determinabilis in esse subjecti informationis, quam forma, concedo: in esse subjecti sustentationis, nego. Nam illud est determinabile in esse subjecti sustentationis, quod præsupponitur alteri, & ex quo aliud educitur; forma verò cælestis educitur ex materia cælesti, non secus ac omnes aliæ sublunares ex materia sublunari. Hinc dic, in proposito Resolutionis, Genus potius futurum determinabile, quam Differentiam: quia (cum præsupponatur Differentiæ, juxta Aristotelem 5^o Metaph. Text 33^o. ubi dicit, *Genus esse 1^{um} in rationibus*, id est, 1^{am} partem in definitionibus, quod & ratio suadet, quia est minus recedens à nudo conceptu entis, quam Differentia; nam prius est sentire (ut constat ex naturâ fœtus) quod est actus animalis, quam ratiocinari aut ridere, quod est actus rationalis) imitatur materiam cælestem consideratam secundum esse subjecti sustentationis, secundum quod esse, est potius determinabilis, quam determinativa; non verò materiam secundum esse subjecti informationis; quia materia secundum esse subjecti informationis considerata, sive habeat plures formas, sive non, non est magis determinabilis, quam forma, sed simul naturâ sunt materia & forma respectu invicem determinabiles & determinativæ, nam ab invicem denominantur ac informantur, & se invicem denominant ac informant, ut latius ostendimus in Physica Disp. 2^a.

DXVI. Instabis, idem intellectivum & volitivum non se respiciunt ut determinabile & determinativum, & consequenter nec ut Genus & Differentia; quia æquè latè patent; sive quia intellectivum non est determinabile per volitivum & unam aliam Differentiam positivam: ergò similiter, si animal & rationale æquè latè pateant, sive si animal non sit determinabile per rationale & unam aliam Differentiam positivam non se respicient ut Genus & Differentia.

DXVII. Respondeo 1^o retorquendo argumentum in materiam 1^{am} cælestem formæ tantum cælestis capacem, ut suppono: illa enim non magis latè patet quam sua forma; & tamen, ut probatum est, illa se habet ut determinabilis, hæc ut determinativa.

DXVIII. Respondeo 2^o, negando assumptum: quod enim intellectivum & volitivum non se respiciant ut determinabile & determinativum, non est, quia æquè latè patent, sive quia intellectivum non est determinabile per volitivum, & unam aliam Differentiam; sed quia se non respiciunt, saltem ut materia & forma cælestis; nam sicut voluntas non se habet ad intellectum, ut formâ ad subjectum, sed ut ad alteram potentiam & formam ejusdem animæ, non secus ac visus, tactus, olfactus, &c. ita volitivum non se habet ad intellectivum ut determinativum ad determinabile; sed sicut ad alterum determinativum ejusdem animæ viventis ad esse volitivum & intelle-

ctivum; non secus ac visum, tactivum, olfactivum, &c. si tamen velis, volitivum se habere ad intellectivum, ut formam ad subjectum, ut perfectionem ad perfectibile, (quod sine absurdo dici potest) nego, intellectivum & volitivum se non respicere ut determinabile & determinativum; ac proinde ut Genus & Differentiam compositi Metaphysici intellectivi & volitivi.

DXIX. Adde ex majori vel minori late-potentia, quam habeat Differentia, non diversificari prædicabilia; alioqui tot essent prædicabilia, quot forent majores vel minores late-potentia: & Genus supremum, subalternum & infimum facerent tria Genera Specie diversa: Differentia suprema, subalterna & infima tres Differentias Specie diversas: Proprium supremi Generis subalterni & infimi tria Propria Specie diversa; quæ sunt parum fundata; sed ex modo prædicandi per modum partis materialis aut formalis in quid, & in quale, &c. Ex his

DX. Collige, non esse de essentia Generis, esse totum potentiale contrahibile per plures Differentias Vniuersales, sed per unicam tantum, & plures numericas: nam id sufficit ad hoc ut sit unum aptum prædicari de multis in quid ut pars materialis essentia Vniuersalis.

RESOLUTIO IV.

DXI. Dico 4^o. Species 1^o intentionaliter sive materialiter sumpta, ut v.g. homo, quoad perfectiones actuales seu Metaphysicè intrinsecas, salvatur in uno Individuo, cæteris impossibilibus.

DXII. Probatur, quia tota actualis & Metaphysicè intrinseca perfectio hominis est animal rationale, & non aliud; sed id salvatur in Petro v.g. cæteris hominis Individuis impossibilibus; ergò, &c.

DXIII. Confirmatur. Natura specifica sic est in omnibus suis Individuis, ut sit divisim tota in singulis; ergò, &c. Probatur antecedens; quia prædicatur tota de singulis divisim, ergò, &c.

RESOLUTIO V.

DXIV. Dico 5^o. Species 1^o intentionaliter sive materialiter sumpta, ut v.g. homo, quoad perfectiones potentiales seu Metaphysicè extrinsecas (si nempe sit multiplicabilis in plura individua) non potest salvari in unico Individuo, aliis impossibilibus.

DXV. Probatur, quia omnes hæcceitates omnium Individuorum humanorum, ut Petreitas, Pauleitas, Ioanneitas, &c. non reperiuntur in unico Individuo hominis, verbi gratia, Petro, ergò, &c.

DXVI. Confirmatur, sic se habet Species ad hæcceitates, sicut Genus ad Differentias Vniuersales contrahentes; sed, si illud sit multiplicabile in plures Species, non habet omnem suam perfectionem potentialem sub una Differentia Vniuersali contrahente, ergò nec Species sub una hæcceitate. Major tenet à pari. Minor probata est Resol. 28.

DXVII. Dixi,

DCXXVII. Dixi; Si nempe sit multiplicabilis in plura Individua; alioqui si supponatur, unicum Individuum esse possibile; sicut illud unicum ens erit ejus perfectio potentialis; ita in illo unico possibili, & aliis impossibilibus, salvabitur.

RESOLUTIO VI.

DCXXVIII. **D**ico 6^o. probabile videtur, quod Species, ut est 3^{um} prædicabile concretim sumptum, sive ut est definitum adæquatum in definitione Speciei, possit, præcisè sistendo in ratione, salvari in unico Individuo Physicè possibili, alio Physicè impossibili; sic nempe ut Deus (de quo potissimum difficultas) sic sit Physicè immultiplicabilis numero, ut tamen præcisè sistendo in ratione, non obstante sua Physicè immultiplicabilitate, sit Universalis Logicè tantum. Huic Resolutioni occasionem 1^{am} videtur dedisse Cajetanus cap. 4^o de ente & essentia, & c. 4^o. de Specie, ubi asserit naturam Michaëlis, licet Physicè immultiplicabilem, esse Speciem Logicam. Quoad naturam Michaëlis, Thomistæ nobis adtipulantur, & quidem sic, ut PP. nostri Comp. hic. q. 6^a dicant, *nec censendum esse Thomistam, qui oppositum senserit.* Quoad Deum autem minimè; esse tamen inter utrumque paritatem, probabiliter suadere intendimus.

Sed antè probationem

DCXXIX. Suppono 1^o Scripturam, Concilia & Fidem, circa ea, quæ hanc Resolutionem tangere videntur, aliud non convincere, quam quod Deus sit realiter & Physicè unicus, intrinsicè realiter & Physicè immultiplicabilis; quidquid sit de multiplicabilitate extrinsecâ & rationis, sive sub præcisione formali, ad quam ista non extenduntur.

DCXXX. Suppono 2^o naturæ multiplicationem esse duplicem, juxta duplicem naturæ multiplicabilitatem univocam in multa inferiora: si enim naturæ multiplicabilitas sit Physica & Logica simul, uti est naturæ humanæ abstractæ per mentem ab individuis hominis; multiplicatio naturæ est Physica & Logica simul; Physica quidem, quia, ut omnes fatentur, Physicè & realiter de facto in Petro, Paulo, & cæteris individuis hominis multiplicatur; Logica verò aut ratione & sub præcisione formali, quia humana natura ratione & per prædicationem de Petro, Paulo, &c. est in Petrum, Paulum, &c. ut sic multiplicabilis; si autem naturæ multiplicabilitas sit Logica tantum, uti est naturæ Michaëlis, in sententia Thomistarum, eò quod sub sola præcisione formali ab hæcitate sit multiplicabilis, utpotè carens fundamento immultiplicabilitatis præcisivæ videlicet hæcitate; multiplicatio non est Physica, sed Logica tantum.

DCXXXI. Suppono 3^o, inter eos, qui Nominalium sententiam sequuntur, jam, saltem ut probabile, esse receptum, quod Deus purè extrinsecè & ratione nostrâ formali extrinsecâ componatur ex Genere & Differentia, & sic sic definiatur; idque de facto tuentur PP. Hurtadus, Arriaga, Oviédus, &c. Neque in eo est ullum absurdum, ut infra Tractat. 4^o. de Ante-prædicamentis, probabitur: cum verò Divus Thomas 1. parte quæst. 13. artic. 5. & quæst. 7. De pot. artic. 3. negat, Deum esse in Genere, sive constare Genere

& Differentia, ac proinde definiri posse, id solum negat de Deo ex parte sui sive objecti spectato, non verò ex parte actus sive rationis nostræ extrinsecæ; quæstione etenim 3^a citatâ excludit à Deo Genus, quod ex parte objecti non est ens simpliciter; ut consideranti patebit articulum 5^{um} citatum in corpore; quod, cum aliud non sit, quam excludere à Deo Genus, substantiam v. g. quâ parte est objectivè ens simpliciter, verissimum est, & omnino consonum Magistro Nostro Ioanni de Bachone in 1^{um} dist. 9. quæst. 1^a. art. 10. *Deus est in Genere sic, quod extra Genus, id est, Deus est sic in Genere in quantum Genus prædicatur de Deo sicut Genus de sua inferiori, quod nihilominus est illimitatus & infinitus.* & ad mentem, D. Thomæ, qui sicut à Deo distinctiones ratione nostrâ extrinsecâ non excludit, ita nec perfectibilitates eadem ratione nostrâ extrinsecâ. Vnde cum hic & infra quæst. 13. art. 9. à Deo excludendo gradum genericum, excludit consequenter rationem Speciei; consequenter intelligi debet de ratione Speciei, quatenus ex parte objecti nō est ens simpliciter, sed entia per participationem; non verò quatenus ex parte objecti est ens unicum simpliciter, licet ratione nostrâ præcisè sit multa, ut statim dicetur. Ex his autem liquet, quid PP. nostris Comp. loco infra citando, P. Ioan. à S. Thoma & aliis respondendum, dum ajunt ista loca ob stare, ne Deus sit Species Logica tantum; licet id concedatur naturæ Michaëlis.

DCXXXII. Probatur 1^o autoritate D. Thomæ, 1. parte q. 13^a. art. 4. ad 3^{um}. ubi expressè agnoscit plures Deos sub conceptu sive ratione nostrâ, ajens: *Deus est unus res, & plures secundum rationem, quâ intellectus noster multipliciter apprehendit Deum;* puta semel cum hæcitate & semel sine; semel in ordine ad actus bonitatis, semel in ordine ad actus sapientiæ correspondentes, &c. semel autem dato, quod Deus sit præcisus ratione nostrâ à sua hæcitate, potest tunc considerari in ordine ad actus bonitati respondentes, & postea in ordine ad actus sapientiæ respondentes, & tunc habemus Deum bonum & Deum sapientem ratione nostrâ diversos: quæ omnino confirmant Doctissimi nostri Complut. Disp. 6. de Specie q. 4. *Licet hoc nomen Deus ut à nobis apprehenditur, sit communicabile multis secundum rationem, ut inquit D. Thom. citatâ. q. 13. art. 9. & propterea ex parte modi concipiendi nostri sit terminus communis, ut frequenter docent Thomistæ ibidem.* Ita illi: nec in præmissis à nobis apparet vel minima repugnantia, cum ab istis duobus Dijs solâ ratione nostrâ multiplicatis præscindatur ratio Dei univoca utrique, in quo salvabitur 3^{um} prædicabile concretim sumptum, ergo, &c. Probatur minor pro 3^a parte, in qua sola difficultas, quid erit prædicabilis de multis univocè cum sui multiplicatione Logicâ tantum, ad 3^{um} autem prædicabile planè impertinens est, an multiplicatio sit Logica tantum, an Physica simul, ut consideranti patebit, ergo, &c.

DCXXXIII. Confirmatur, non est cur potius ad Universalis Logicè tantum, plura objectivè Physicè & unum ratione nostrâ requiratur, quam unum objectivè Physicè & multa ratione nostrâ.

DCXXXIV. Respondebis, communem Autoritatem stare pro potiori ratione. Sed

DCXXXV. Contrâ, imprimis non est in contrarium communis Autoritas; nam Thomistæ in

in natura Michaelis oppositum defendunt communiter: deinde definitiones Vniuersalium nihil habent in contrarium, nec Aristoteles aut Porphyrius circa illam multiplicationem, an Logica & Physica simul, an Logica tantum esse debeat, quidquam expresse-
runt; ab Authoritate autem negata, nullum est argu-
mentum.

DLXXXIV. Probatur 2^o. ad 3^{um}. Vniuersale concre-
tim sumptum sufficit Logica multiplicabilitas univo-
ca naturæ in multa, & præcisio formalis ab illis; atqui
Naturæ Divinæ præcisæ à suâ hæcitate convenit
talis multiplicabilitas univoca in multa; & quamdiu
per prædicationem non contrahitur ad illa, est præci-
sio formalis ab illis, cum aliunde supponatur esse actu
sub præcisione, ergo, &c. Probatur minor pro 1^a. par-
te, ex dictis supposito 2^o. & 3^o. & D. Thoma supra
allato, ergo, &c.

DLXXXV. Obijcies 1^o. non apparet quid esse pos-
sint illa Individua Logicè possibilis, & Physicè im-
possibilis: vel enim realia sunt, vel ficta? non realia,
quia ut supponitur, nec sunt, nec esse possunt Physi-
cè; ergo ficta esse debent, quia illud ens est fictum,
quod non est reale & apprehenditur ut possibile, vel,
quod est tantum obiectivè in intellectu, uti tantum
sunt illa Individua.

DLXXXVI. Respondet Cajetanus (& plures Thomi-
stæ post ipsum) cap. 4^o. de ente & essentia, & cap. 4^o.
de Specie, esse non repugnantiam ex parte naturæ
abstractæ ab hæcitate ad prædicari de multis, si es-
sent. Verum hoc non est, naturam esse Vniuersalem;
sed futuram Vniuersalem, si essent multa, de quibus
posset prædicari. Deinde ex parte naturæ abstractæ
ab hæcitate, absolute est repugnantia ad prædicari
de multis, quæ absolute non sunt; ergo natura ab-
stracta ab una hæcitate Michaelis tantum, non esset
absolute Vniuersalis. Quare aliter

DLXXXVII. Respondeo: illa Individua fore Indivi-
dua Logica prout opponuntur Physicè existibilibus;
& Logicè tantum realia, id est possibilis ex modo
essendi præcisæ, quem naturam abstractam ab una hæc-
itate habet sub abstractione; ex parte enim illius,
alia Individua non involvunt in suo conceptu duo
contradictoria; nec impossibilia Physicè concipiuntur
in actu signato ut possibilis Physicè, quod, ut
sint ficta, requiritur, sed tantum in actu exercito ut
possibilis Logicè, prout sunt Logicè possibilis; ha-
bentque esse reale Logicum in natura ut abstractam ab
hæcitate sua: ac proinde, licet habeant esse impos-
sibile Physicum, propter quod sunt Physicè chymæ-
rica, & consequenter natura respectu illorum
nonnisi chymæricè Vniuersalis Logicè & Physicè;
non habent tamen esse impossibile Logicum; quia
habent esse possibile Logicum ex modo essendi natu-
ræ sub abstractione, &c. ut dixi. Hinc ens reale
omnino in communi definit; *Id, quod est, vel esse po-
test Logicè vel Physicè*: aut *Id, quod est, vel esse potest*, sub-
auditis particulis *Logicè vel Physicè*.

DLXXXVIII. Instabis, vel multitudo Logica Indivi-
duorum Dei, habet fundamentum in Deo, vel non?
si 1^{um}. ergo Deus est intrinsecè multiplicabilis: si 2^{um}.
ergo, sunt ficta.

DLXXXIX. Respondeo, non habere fundamentum
in Deo absolute & secundum se sed relativè & com-
parativè considerato, quatenus scilicet ut unum ob-
iectivè & Physicè subest abstractioni, sive quatenus
dicit non repugnantiam ad concipi conceptu con-
fuso abstrahente formaliter naturam Divinam à sua
hæcitate.

R. P. Francisci Bonæ Spei Logica.

DXL. Obijcies 2^o. natura abstracta ab uno Indivi-
duo tantum, non est nisi Vniuersalis negativè, id
est, non exprimitur illius singularitas: sed per Vni-
versale simpliciter, omnes Philosophi intelligunt
Vniuersale positivè, & à multis positivè abstra-
ctum, ergo, &c. Ità P. Comptonus Log. Disp. 34.
Sect. 4^a.

DXLI. Respondeo distinguendo maiorem: natura
abstracta ab uno Individuo tantum, non est nisi Vni-
versalis negativè respectu Individui Physici à quo
abstracta est, concedo maiorem respectu Individuo-
rum Logicorum, in quæ natura abstracta ex modo es-
sendi, quem habet sub abstractione, est Logicè mul-
tiplicabilis, nego maiorem: dum enim Natura Divina
à Deo formaliter abstrahitur, ex modo essendi, quem
habet sub conceptu, est una infinite multiplicabilis
sub conceptu, sicut natura humana, in Sententia Sco-
tistarum, ex modo essendi, quem habet antè intelle-
ctum, una est infinite multiplicabilis antè intellectum;
quia videlicet, sicuti sub hoc modo essendi non habet
principium repugnantiae multiplicabilitatis antè in-
tellectum; ità nec sub isto modo essendi sub conce-
ptu habet principium repugnantiae multiplicabili-
tatis sub conceptu. Modum autem, quo natura ista sit
Logicè tantum Vniuersalis, assignavimus probatio-
ne 1^a.

DXLII. Instabis, supra hujus Tract. Disp. 1. Dub.
8^o. negatum est, naturam abstractam, à Petro tan-
tum, esse prædicabilem de Paulo, à quo positivè ab-
stracta non est; ergo Natura Divina abstracta à sua
hæcitate tantum, non est, prædicabilis de hoc
& illo Deo Logico, à quibus positivè abstracta non
est.

DXLIII. Respondeo distinguendo assumptum: su-
pra negatum est, naturam abstractam à Petro tantum,
esse prædicabilem de Paulo à Petro Physicè & rea-
liter distincto, concedo maiorem; & ratio est, quia
prædicatio supponit identitatem realem: negatum
est, naturam abstractam à Petro, esse prædicabilem de
Paulo à Petro solà præcisione formali distincto, nego
maiorem. Hanc autem prædicationem omnes agno-
scunt: hic enim admittere oportet naturam humanæ
duplicis Generis esse posse Individua; aliqua Physi-
ca sive Physicè possibilis, aut Physicè existentia;
alia Logica tantum, quæ necessariò sequuntur natu-
ram per præcisionem formalem omni hæcitate
nudatam; & de his natura humana prædicari po-
test, hoc ipso, quod est abstracta ab omni hæcitate;
quia illa realiter aliud non sunt, quam hæc natu-
ra; realiter autem eadem de invicem prædicari
possunt.

DXLIV. Urgebis 1^o. ex eodem P. Comptono & aliis:
ipso facto, quod concipit quis rationem Dei commu-
nicabilem aliis, non format conceptum Dei; quia
Deus ex conceptu suo intrinsecè est unus, & essen-
tialiter negans consortium aliorum; eo ipso proinde,
quod concipitur, ut alium secundum Deum admit-
tens, non concipitur Deus; sed chymæra; ergo, &c.

DXLV. Respondeo distinguendo assumptum: ipso
facto, quod concipit quis rationem Dei communica-
bilem aliis, non format conceptum Dei ut entis Physi-
fici & Physicè ac realiter existentis, concedo maio-
rem; ut entis Logici, & ratione nostræ multiplicabilis,
nego maiorem. Ad probationem autem majoris, Re-
spondeo ista intelligi de Deo ut ente Physico, &c.
quia de Deo ut ente Logico & ratione nostræ mul-
tiplicabili, omnino contrarium patet ex D. Thoma in
probatione Resolutionis citato.

I

DXLVI. Ur-

DXLVI. Vergebis 2^o. ex Patre Poncio Disput. 3^a. de Universalibus ut sic, Quaest. 4. Si, quod Individuum non possit numero multiplicari à parte rei, non impediat, nè sit Universalis; quod Species infima non possit Specie multiplicari à parte rei, non impediat ne sit Genus per abstractionem: sed hoc est absurdum: ergo, &c. Probatur sequela maioris; quia prout illa est Universalis, eò quod in ea jam ab hæcitate præcisa nullum sit principium repugnantiae multiplicabilitatis in Individua; ita nec ullum est principium repugnantiae multiplicabilitatis in Species, ergo, &c.

DXLVII. Respondeo 1^o. negando minorem, quia ut infra ostendemus, natura humana possibilis, respectu Individuorum Physicorum possibilitatem potest se habere ut Genus, de illis tamquam de Specie differentibus prædicari, &c. quod patet à fortiori de Logice tantum possibilibus.

DXLVIII. Respondeo 2^o. majorem negando, quia, supposito, quod detur Species infima, ad multiplicabilitatem illius Logicam in multas Species Logicas tantum, non sufficit præcisio ab hæcitate; quia hæc est principium solius repugnantiae in multa Individua Logica, cujus cum præcissione stat Differentia Speciei infimæ, quæ est principium repugnantiae in multas Species Logicas, à qua si præcindas, in homine v. g. non video cur Logice multiplicari non possit in multas Species, quia illo casu non est aliud, quam animal multiplicari in multas Species Logicas tantum, ut consideranti patebit; in eo autem quod animal sit multiplicabile in Individua Logica tantum, sub præcissione, & aliunde in realia realiter, nul-

la est repugnantia, ut patet ex Responsione ad Objectionem 2^{am}.

RESOLUTIO VII.

DXLIX. **D**ico 7^o. sistendo in autoritate & communi sensu Doctorum, mihi longè probabilius est, 3^{um} prædicabile, sive Speciem Logicam, salvari non posse in unico Individuo Physico possibili, alio Physice impossibili.

DL. Probatur, quia imprimis, quod Deus non sit Universalis, Species Logica, &c. unanimes est omnium Theologorum & Philosophorum consensus; eò quod Deus sit essentialiter hic, sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti; quia sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti, accipi debet ut immultiplicabilis. Deinde quod natura Michaëlis non sit similiter Universalis, Species, &c. videtur (supposita illius Physicæ immultiplicabilitate) sequi à pari ex natura Divina; quæ sicut est essentialiter hæc, quia, sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti, accipi debet, ut immultiplicabilis; ita natura Michaëlis est essentialiter hæc, quia, sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti, accipi debet, in illa hypothese, ut immultiplicabilis; repugnat enim illam accipi ut immultiplicabilem, & non accipi ut hanc; & quocumque sensu isto modo accipitur, hoc modo accipi debet; & quocumque sensu acciperetur ut multiplicabilis, ut non hæc, &c. eodem sensu Deus sive natura Divina accipi deberet ut multiplicabilis, ut non hæc, &c. ut Resolutio nem 6^{am} consideranti patebit, ergo, &c.

DISPUTATIO QUINTA
De Individuo.

DUBIUM I.

Quid Individuum Physicum, Metaphysicum
& Logicum.

DLI. **A**ntè Resolutionem
Suppono 1^o. varias à Porphyrio hic (quia, cum Individuum sit correlativum Speciei, de eo hic agendum videbatur) Individui definitiones adferri. 1^a. Quod de uno solo particulari dicitur, puta univocè, quia de multis æquivocè dici, non est Dubium. 2^a. Quod constat proprietatibus (id est accidentibus, duobus subiectis Hexametris contentis) quarum idem (puta Specie) aggregatum numquam fiet (supple naturaliter, quia supernaturaliter fieri posse, patet) in alio. Hexametra autem sunt hæc:

Forma, figura, locus, tempus cum nomine, sanguis, Patria, sunt septem, quæ non habet unus & aliter.

Brevius alii post Boëtium:

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.

DLII. Forma est colorum corporis dispositio: figura partium: locus extensio localis: stirps parentes: tempus duratio; cætera patent. Ista tamen definitio essentialis non est; sed descriptiva, eaque valde imperfecta, quia accidentia rei, non essentiam explicat: nec omnia Individua comprehendit; sed ex sanguine sive ex Parentibus tantum (qui, præterquam viventibus non assignantur, etsi in aliis quâdam latiori acceptione assignentur) statim patet,

nullam esse definitionem, quia duo terræ Individua (& sic de aliis inanimatis) omnino in proprietatibus istis convenientia naturaliter proferre, nihil vetat; ut tamen definitio nulla censetur, sufficit, quod supernaturaliter produci possint duo homines, quibus illa omnia convenient; posse autem, nullus ambigit.

DLIII. Suppono 2^o. Individuum posse, ut Universalis, dupliciter accipi: semel 1^o. intentionaliter, sive secundum ea, quæ habet independentem ab intellectu; & semel 2^o. intentionaliter, sive secundum ea, quæ habet dependentem ab intellectu. De quibus Tract. 1^o. de Ante-Universalibus, Disp. 1^a. Dub. 1^o.

DLIV. Suppono 3^o. Individuum ordinariè assignari quadruplex. 1^{um} determinatum ex nomine proprio, ut Paulus. 2^{um} ex demonstratione, puta eò quod sit nomen commune affectum pronomine demonstrativo, ut hic homo. 3^{um} ex suppositione, puta eò quod sit nomen commune, ex suppositione facta, uni soli conveniens; ut Philosophus pro Aristotele; Apostolus pro Paulo; Filius Virginis Mariæ pro Christo. 4^{um} est Individuum vagum, eò quod sit nomen commune affectum signo particulari, ut aliquis homo: quod Individuum, ideo vagum dicitur, quod in cognitione ita vagetur, ut in ipsa nihil sit determinatum; licet in se, (utpotè sapius existens) plerumque sit determinatum. His autem suppositis, sit

RESOLUTIO I.

DLV. **D**ico 1^o. Individuum Physicum est ens 1^o intentionaliter, quod est Individuum in se, &